



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Concilivm In Scotia Celebratvm, De Initio Celebritatis dominicae habitum  
anno Domini MCCIII. tempore Innocentii papae III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

CONCILIVM IN SCOTIA  
CELEBRATVM, DE INITIO CELEBRITATIS  
dominicæ habitum anno Domini MCCIII.  
tempore Innocentii papæ III.

## NOTA.

\* *Concilium.*] Causam Concilii hac de re in Scotia celebrati dedisse videntur ea quæ de dominici diei obseruatione describit Rogerus anno *moli.* his verbis: *Eodem anno Eustachius abbas de Flay rediit in Angliam, & predicans in ea verbum Domini de ciuitate in ciuitatem, & de loco in locum, prohibuit ne quis forum rerum venalium in diebus dominicis exerceat. Dicebat enim quod hoc mandatum subscriptum de obseruatione diei dominicæ venit de celo.*

## DE OBSERVATIONE DIEI DOMINICÆ.

MANDATVM sanctum dominicæ diei, quod de cælo venit in Ierusalem, & inuentum est super altare sancti Simeonis, quod est in Golgotha, vbi Christus crucifixus est pro peccatis mundi, & mandauit Dominus hanc epistolam, quæ apprehensa est super altare sancti Simeonis; quam per tres dies & tres noctes homines aspicientes corruerunt in terram, rogantes Dei misericordiam: & post horam tertiam erexit se patriarcha, & Akarias archiepiscopus, & expanderunt infulam, & sanctam acceperunt epistolam Dei. Quam cum accepissent, inueniunt superscriptum istud: Ego Dominus, qui præcepi vobis vt obseruaretis diem sanctum dominicum, & non custodistis eum, & de peccatis vestris non pœnitulistis, sicut dixi per euangelium meum: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Feci autem prædicare vobis pœnitentiam vitæ, & non credidistis, & misi super vos paganos, qui effuderunt sanguinem vestrum in terra, nec tamen credidistis: & quia sanctum diem dominicum non custodistis, per paucos dies habuistis famem: sed cito dedi vobis saturitatem, & postea peius fecistis. Volo iterum vt nemo ab hora nona sabbati, vsque ad solem surgentem diei lunæ aliquid operetur, nisi quod bonum sit. Quod si quis fecerit, cum pœnitentia emendet; & si huic mandato non

*Math. 24.*

ANNO  
CHRISTI  
1103.

obedieritis, Amen dico vobis, & iuro vobis per sedem meam, & thronum meum, & cherubim, qui custodiunt sanctam sedem meam, quia non mandabo vobis aliquid per aliam epistolam: sed aperiam celos, & pro pluuia pluam super vos lapides, & ligna, & aquam calidam per noctes, vt nemo præcauere possit quin destruiam omnes malos homines. Hoc dico vobis: Morte moriemini propter diem sanctum dominicum, & alias festiuitates sanctorum meorum, quas non custodistis. Mittam vobis bestias habentes capita leonum, capillos mulierum, caudas camelorum, & ita erunt famelica, quod carnes vestras deuorabunt; & vos desiderabitis fugere ad sepulcrum mortuorum, & abscondere vos propter metum bestiarum, & tollam lumen solis ab oculis vestris, & mittam super vos tenebras, vt occidatis vos inuicem non videntes, & auferam a vobis faciem meam; & non faciam vobiscum misericordiam. Incendam enim corpora vestra, & corda, & omnium illorum qui non custodiunt diem sanctum dominicum. Audite vocem meam, ne pereatis in terra propter diem sanctum dominicum. Recedite a malo, & penitentiam agite de malis vestris. Quod si non feceritis, quasi Sodoma & Gomorrha peribitis. Nunc scitote quod salui estis per orationes sanctissimæ genitricis meæ Mariæ, & sanctorum angelorum meorum, qui orant pro vobis quotidie. Dedi vobis triticum & vinum abundanter, & inde non obedistis mihi. Nam viduæ & orphani clamant ad vos quotidie, quibus nullam facitis misericordiam. Paganus habent misericordiam, vos autem non habetis. Arbores quæ fructificant siccare faciam pro vestris peccatis: flumina & fontes non dabunt aquam. Dedi vobis legem in monte Sinai, quam non custodistis. Dedi per me legem, quam non obseruastis. Pro vobis natus fui in mundo, & festiuitatem meam nesciistis. Praui homines diem dominicum resurrectionis meæ non custodistis. Iuro vobis per dextram meam, nisi dominicum diem & festiuitates sanctorum meorum custodieritis, mittam vobis paganas gentes, vt occidant vos. Tollitis tamen res alterius, & de hoc nullam considerationem habetis. Propter hoc mittam super vos bestias peiores, quæ deuorent mulierum vestrarum mamillas. Maledicam illis qui in die domini-

*Concil. Tom. 28.*

O ij

ca aliquid mali operati fuerint. Maledicam illis qui iniuste agunt versus fratres suos. Maledicam illis qui male pauperes & orphanos iudicant, quos terra portat. Me autem derelinquitis, & principem huius seculi sequimini. Audite vocem meam, & habebitis misericordiam bonam. Vos autem non cessatis ab operibus malis, nec ab operibus diaboli, quia facitis periuria & adulteria. Ideo circumdabunt vos gentes, & deuorabunt, vt bestia.

ANNO  
CHRISTI  
1103.

*Peruenit igitur dominus Eustachius abbas de Flay Eboracum, & a Gaufrido Eboracensi archiepiscopo & clero & populo ciuitatis honorifice susceptus, pradicauit verbum Domini, & de transgressione dominica diei & aliarum festiuitatum dedit populo penitentiam & absolutionem sub tali conditione, quod ipsi de cetero debitam impenderent dominica diei & aliis sanctorum festiuitatibus reuerentiam, non faciendo in eis quidquam operis seruilis, nec in diebus dominicis exercerent forum rerum venalium, sed bonis operibus, & orationibus deuote insisterent. Hac seruanda constituit ab hora nona sabbati vsque ad ortum solis in die luna. Populus autem Deo deuotus ad pradicacionem illius vouerunt Deo, quod de cetero in diebus dominicis nequicquam emerent, nec venderent, nisi forte cibum & potum prateruentibus. Vouerunt etiam quod de singulis quinque solidatis rerum, quas cumque venderent, darent vnum quadrantem ad lumen ecclesia emendum, & ad sepulturam indigentium. Et ad hoc colligendum statuit pradicatus abbas in singulis ecclesiis parochialibus fieri truncum concuum sub custodia duorum vel trium fidelium hominum, vbi populus iactaret prenominatum as. Statuit etiam prafatus abbas, quod discus eleemosynarius haberetur quotidie in mensa diuitum: in quo partem ciborum suorum mitterent ad opus indigentium, qui non praparauerunt sibi. Prohibuit autem idem abbas, ne quis in ecclesiis vel atrijs earum venderet vel emeret quidquam aut placitaret. His ergo & aliis sancti huius viri monitis inimicus humani generis inuidens, misit in cor regis & principum tenebrarum, quod ipsi preceperunt, vt omnes qui pradicatas traditiones custodirent, & maxime omnes qui in diebus dominicis forum rerum venalium deiecerant, ad regium examen satisfacturi de obseruantia diei dominica ducerentur. Sed Dominus noster Iesus Christus, cui obediendum est magis quam hominibus, qui natiuitate & resurrectione sua, & aduentu suo & missione Spiritus sancti in discipulos suos sibi hunc diem, quem dominicum vocamus, illustrauit, & celeberrimum dedicauit, virtutis sue miracula suscitauit, & in quosdam dominica diei transgressores manifestauit sic.*

*Quodam sabbato post nonam quidam carpentarius in Beuerlaco, contra salubria vxoris sue monita clauum ligneum faciens, corruit in terram percussus paralyti. Et quadam textrix post horam nonam in sabbato, cum ad pertexendum partem tele anxia insisteret, cadens in terram paralyti obmutuit. Et apud Nasfertun villam magistri Rogeri Arundel quidam homo fecit sibi panem subcinericium die sabbati post nonam, & inde com-*

ANNO  
 CHRISTI  
 1103.

edit, & partem reſeruaui ſibi uſque mane; quem cum die dominica fre-  
 giſſet, exiuit ſanguis, & qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt  
 teſtimonium eius. Et apud Vatefeld, quodam ſabbato, cum molendina-  
 rius poſt nonam operam daret, vt bladium ſuum moleret, ſubito exiuit  
 loco farina tantus impetus ſanguinis, quod vas ſuſpoſitum pene imple-  
 retur ſanguine, & rota molendini ſtetit immobilis contra vehementem  
 impulſum aqua: & qui viderunt, mirati ſunt, dicentes: Parce Domine,  
 parce populo tuo. Item in Lincolnſiria parauerat quadam mulier paſ-  
 tam; quam deferens ad furnum poſt horam nonam ſabbati, miſit eam in  
 furnum calidiſſimum: & cum eam extraheret, inuenit crudam; & ite-  
 rum miſit eam in furnum valde calidum, & in craſtino, & in die luna,  
 cum aſtimaret ſe inueniſſe panes coctos, inuenit paſtam crudam.

Item in eadem prouincia, cum quadam mulier paſtam ſuam prepa-  
 raſſet, volens eam ad furnum portare, dixit ei vir ſuus: Sabbathum eſt, &  
 hora nona iam prateriit, dimitte uſque ad diem luna. Mulier autem  
 obediens viro ſuo fecit ſicut praceperat: & inuoluit paſtam linteamini-  
 bus mundis, & in craſtino, cum viſitaret paſtam ſuam, ne propter fer-  
 mentum impoſitum vas excederet, inuenit panes inde diuino nutu fa-  
 ctos, & bene coctos ſine igne materiali. Hæc eſt mutatio dextera Excel-  
 ſi. Et quamuis omnipotens Dominus his & aliis potentia ſua miraculis  
 populum ad obſeruationem diei dominica inuitaret; tamen populus plus  
 timens regiam & humanam poteſtatem, quam diuinam, plusque timens  
 illos qui corpus occidunt, & quod ultra faciant non habent, quam illum,  
 qui poſtquam corpus occiderit, animam poteſt mittere in gehennam, &  
 plus timens terrena amittere quam celeftia, & tranſitoria quam aterna,  
 (proh dolor) vt canis ad vomitum, reuerſus eſt ad forum rerum vena-  
 lium exercendum in diebus dominicis. Hæc ille.

ANNO  
 CHRISTI  
 1110.

**CONCILIVM ROMANVM**  
 QVO OTTO IMPERATOR QVARTVS PER  
 Innocentium papam imperio depositus eſt anno Do-  
 mini MCCX.

NOTA.

\* Concilium. ] Acta Concilii breuiſſime Palmerius in chronico his  
 verbis deſcribit: Otto Romæ ab Innocentio coronatus, ſtatim cum Ro-  
 manis pugnans Vrbe pellitur, & contra pontificis voluntatem plura opi-  
 da in Apulia capit, Siciliam quoque ſua ditioni adiecit. Quapropter  
 eodem anno habito Romæ Concilio imperio deponitur. Eadem Nauclerus  
 anno 1112. Pontifex Romanus, inquit, monitum prius imperatorem per  
 literas & nuntios, deinde vt rebellem apoſtolice ſedi, & inobedientem, a-  
 nathemate primum, deinde in pertinacia perſeuerantem in Concilio pre-  
 ſulum, quod Romæ tum Innocentius celebrabat, ab imperio depositum per-  
 cuſſit & pronuntiauit. Hæc Nauclerus.

Otto imperator omnium hominum erga ſedem apoſtolicam ingratiſſi-